



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1563 usque ad annum 1566

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118626**

§. 24. Navagerus Cardinalis mortuus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67192](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67192)

Sæcul. XVI. bebantur, & ipse numerabatur, atque  
A C. 1565. intererat etiam sacris Cardinalium co-  
 mitiis, in quibus Julius III, Marcel-  
 lus II. & Pius IV. summi Pontifices eli-  
 gebantur. Tandem annum ætatis  
 suæ sexagesimum quartum una cum  
 sex mensibus, & viginti septem diebus  
 complens Romæ die vigesima quinta  
 Februarii animam Deo reddidit, pri-  
 moque fuit sepultus in Ecclesia Sanctæ  
 Catharinæ, quam pro quorundam  
 Nobilium Virginum sustentatione ad  
 Divi Ignatii preces larga manu dota-  
 bat: postea autem Corpus ejus ad Ec-  
 clesiam Sanctæ Mariæ Majoris trans-  
 latum, in marmorea tumba recondi-  
 tum fuit, unacum vera ejus effigie, ac  
 sepulchrali inscriptione.

## §. XXIV.

*Navagerus Cardinalis mortuus.*

*Ciac. p. 940.*  
*Augustin.*  
*Valer. vita*  
*hujus Card.*  
*Ughel. l. c.*

Inter Cardinales hoc anno defunctos  
 tertius erat Bernardus Navagerus  
 Venetus nobili, ac pervetusto genere  
 ex Patre Andrea Navagero Viro ad-  
 modum erudito Anno Christi millesimo  
 quingentesimo septimo natus. Hic in  
 patria sua humaniorum literarum, &  
 Philosophiæ studio Genevæ, & Patavii  
 confecto sua obsequia Reipublicæ im-  
 pendere intentus in pleno Senatu non  
 sine ingenti applausu sæpius Causidic-  
 cum



Sæcul. XVI.  
A. C. 1565.

cum agebat, ubi postea tanquam Syndicus unacum Marco Antonio Amulio in Dalmatiam, necnon Legatus Constantinopolin, Romam, in Franciam, ac denique etiam ad Cæsaris Aulam Orator ablegabatur: porro Andreas Gritus Venetæ Reipublicæ Dux tantopere docti hujus Senatoris eloquentia capiebatur, ut quadam die ad illum diceret: lubens mori vellem, si certus essem, quod tu oratione funebri meis manibus parentare non detrectes: Id quoque Navagerus Duci pollicebatur, qui eidem etiam summas rependebat gratias. Nec minori in pretio Navagerus habebatur a Petro Lando, qui mortuo Grito Venetorum Dux eidem Istriam Lando Neptin suam desponsabat, ex qua etiam, ut constat, nonnisi duas proles suscepit, ex quibus Joannes Ludovicus Navagerus postea Joannam Donatam matrimonio sibi junxerat, & Laura Gasparo Venerio Nobili Veneto nupta fuit: Bernardus vero dum uxore sua admodum juvene orbatus erat, unicum doloris sui solatium intra cubile suum reclusus in suis libris quærebat, atque jucundo hoc otio fruebatur, ubi a Borromæo Cardinale literas accepit, quibus nuntiatum, quod & ipse a Pio IV. qui Cardinales quosdam Anno millesimo quingentesimo sexagesimo primo

D d 3 crea-



Sæcul. XVI  
A. C. 1565

creaverat, purpura decoratus effret. Accepto hoc nuntio Navagerus confestim relicta Veneta urbe Romam contendit, ubi primo Diaconus Cardinalis sancti Pancratii, & postea Cardinalis Presbyter promulgatus a Pio IV. Veronensem Episcopatum impetrabat, ab eodemque Legatus ad Tridentinam Synodum decretus, usque ad illius exitum ibidem perstitit: advenerat autem ibi exeunte Mense Aprili, ac finita Synodo Mense Decembri Romam reversus postmodum Veronensem suam Ecclesiam adiit, ubi etiam die nona Decembris anno Christi millesimo quingentesimo sexagesimo tertio solemnem suum ingressum celebrabat, in qua festivitate pro Clero Vincentius Ciconia, nomine autem Vernonenfis Urbis Adamus Fumanus ibidem Canonicus perorabat. Ceterum Navagerus primas eo curas intendit, ut suos Diæcesanos ad exequenda Tridentinæ Synodi decreta, necnon ad corrigendos mores suos, atque restaurandam Ecclesiæ disciplinam hortaretur: denique cum mortis suæ horam proxime instare præsentiret, Augustinum Valerium Senatorem ex sorore sua Nepotem sibi in partem sollicitudinis Episcopalis adungi petebat, quod etiam ejus precibus datum. Obiit tandem morte ferme



me subitanea Veronæ die vigesima se-  
ptima Maji, anno ætatis suæ circiter  
quingagesimo nono, sepultumque est  
Corpus ejus in Ecclesia Cathedrali mar-  
moreæ tumbæ e regione Chori inclu-  
sum. Descripsit hujus Viri vitam ejus  
Nepos Veronensibus literis Anno Do-  
mini millesimo sexcentesimo secunda  
vice excusam.

## §. XXV.

*Alphonsi Caraffæ Cardinalis ex-  
trema.*

Quartus erat Alphonsus Caraffa An-  
tonii Montisbellii, & Balnei Co-  
mitis Filius, necnon Nepos Caroli Ca-  
raffæ Cardinalis, qui Pii IV. jussu stran-  
gulatus est. Natus is erat anno Do-  
mini millesimo quingentesimo quadra-  
gesimo, atque sub Pauli IV. Pro-Pa-  
trui sui tum Cardinalis disciplina edu-  
catus ab eodem, cum ad summum Pon-  
tificatum eveheretur, Protonotarius  
Apostolicus renunciatus est, demum  
vero Cardinalis Diaconus anno ætatis  
suæ decimo septimo creabatur, nec  
minus obtinebat Anno Christi millesi-  
mo quingentesimo quingagesimo septi-  
mo Neapolitanum Archiepiscopatum, ab  
eodem Pontifice maximis cumulatus  
beneficiis. Ast Alphonsus mutata tem-  
poris fortuna jussu Pii IV., qui de Ca-

Sæcul. XVI.  
A.C. 1565.

Ciacon.  
pag. 361.